



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 204. Venit ergo & tulit corpus Iesu. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 204. *Venit ergo & tulit corpus Iesu. v. 38.*

Cum Maria Mater Iesu, S. Ioannes & cæteræ Mulieres manerent circa Crucem Domini nescientes, & tristes quid facere debeant, vt corpus Domini de Cruce deponeretur non habentes neque licentiam, neque vires, neque instrumenta, nec recedere ausi de monte, & inclinabat iam sol ad vespertinam, atque ideo diutius ibi manere non valentes, vndique eos premebant angustia, & ecce vident globum propete venientum ab vrbe Hierusalem, quem quantum primo timebant, ne iterum aliquid insolens fieret cum corpore Christi, tantum cæperunt gaudere cum id vident tam reuerenter deponi.

O Beate Ioseph congrue etiam nomen à deponendo accepisti. Tu enim corpus Domini primus deponere meruisti, qua depositione nulla fuit ferè vnquam honorabilior. Ego cum hoc Iosepho mallem esse baiulus & vespillo, quam loco Tiberij vel Augusti esse imperator. Conserua in me istam deuotionem ea quo donata est omnis deuotio.

§. 205. *Venit autem & Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte. v. 39.*

Posteaquam iam Iosephus ab Arimathæa veniam petierat, & obtinuerat sepeliendi corpus Iesu eandem Nicodemo communicarat, qui etiam occultus discipulus Christi erat, illa vtrique intentione, quod modo verum tempus esset fidei atque amoris, quem erga hunc magnum Prophetam gerebant palam profiteri, duo isti viri accesserunt omnibus necessarijs instructi, quo defunctus Dominus Iesus ciuitate sepeliretur, sciebant enim apprime horum nihil Matrem habere, nedum ad emenda ea pecuniam: & cum inter se hæc officia sumptusque diuisissent, Iosepho obtingit, vt ipse linteum coemeret, quo Christo inuolucrum mortuarium faceret: Nicodemo vero obtingit vt myrrham thus vnguentaque compararet, quibus diuina persona deliniri posse. Et hæc omnia cum bona voluntate faciebant, multo tamen maiore cum liberalitate: certe de nullo legimus qui Iosephum aut Nicodemum rogauerit vt Christum sepelirent, neque à quoquam persuasi sunt vt Christum à Cruce tollerent: aut vnguenta ad vnguendum eum coemerent, sed ex seipsis instinctu proprio ac motu fecerunt, nempe ex mera bonitate ac amore. Ostendentes vtrique nobis tanto opera nostra Deo gratiora esse quanto minus aliorum precibus vel minis sunt